Fragmentarium

litigiosa. et in domo communi. Anima
impii desiderat malum. et non miserebitur
proximo suo. Mulctato pestilente sapientior
erit parvulus. Et si sectetur sapientiam.
sumet scientiam. Excogitat
iustus de domo impii. ut detrahat impios
a malo. Qui obturat aurem suam
ad clamorem pauperis. et ipse clamabit
et non exaudietur. Munus absconditum
extinguet iras. et donum in sinu indignationem
maximam. Gaudium iusto est
facere iudicium. et pavor operantibus iniquitatem.
Vir qui erraverit a via doctrine.
in cetu gigantum commorabitur. Qui diligit
epulas in egestate erit. Qui amat vinum
et pinguia. non ditabitur. Pro iusto
dabitur impius. et pro rectis iniquus. Melius
est habitare in terra deserta. quam
cum muliere rixosa et iracunda. Thesaurus
desiderabilis et oleum in habitaculo
iusti. et imprudens homo dissipabit illud.
Qui sequitur iustitiam et misericordiam. inveniet
gloriam et vitam. Civitatem fortium
ascendit sapiens. et destruxit robur fiducie
eius. Qui custodit os suum et linguam
suam. custodit ab angustiis animam
suam. Superbus et arrogans vocatur
indoctus. qui in ira operatur superbiam.
Desideria occidunt pigrum. noluerunt
enim quicquam manus eius operari. Tota die
concupiscit et desiderat. Qui autem iustus
est. tribuet et non cessabit. Hostie impiorum
abhominabiles. que offeruntur ex scelere.
Testis mendax peribit. Vir obediens loquetur
victoriam. Vir impius procaciter offirmat
vultum suum. qui autem rectus est corrigit
viam suam. Non est sapientia et non est prudentia.
non est consilium contra deum.
Equus paratur ad diem belli. dominus
autem salutem tribuet. Melius est nomen

bonum quam divitie multe. super argentum
et aurum gratia bona. Dives et pauper
obviaverunt sibi. utriusque operator est dominus.
Callidus videt malum. et abscondit se.
innocens pertransiit. et afflictus est damno.
Finis modestie timor domini. divitie et gloria et
vita. Arma et gladii in via perversi. custos
anime sue longe recedit ab eis. Proverbium
est adolescens iuxta viam suam. etiam cum
senuerit non recedet ab ea. Dives pauperibus
imperat. et qui accipit mutuum. servus
est fenerantis. Qui seminat iniquitatem.
metet mala. et virga ire sue consummabitur.
Qui pronus est ad misericordiam. benedicetur.
De panibus suis enim dedit pauperi. Eice
derisorem. et exibit cum eo iurgium. cessabuntque
cause et contumelie. Qui diligit
cordis munditiam. propter gratiam labiorum
suorum habebit amicum regem. Oculi
domini custodiunt scientiam. et supplantantur
verba iniqui. Dicit piger. leo est
foris in medio platearum. occidendus
sum. Fovea profunda os aliene. cui iratus
est dominus incidet in eam. Stultitia
est colligata in corde pueri. et virga discipline
fugabit eam. Qui calumpniatur
pauperem ut augeat divitias suas. dabit
ipse ditiori et egebit. Inclina aurem tuam.
et audi verba sapientium. appone autem
cor ad doctrinam meam. que pulchra erit
tibi cum servaveris eam in ventre tuo. et redundabit
in labiis tuis. ut sit in domino
fiducia tua. Unde et ostendi eam tibi hodie.
Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus
et scientia. ut ostenderem tibi firmitatem
et eloquia veritatis. respondere
ex his illis qui miserunt te. Non facias
violentiam pauperi quia pauper est. neque
conteras egenum in porta. quia dominus
iudicabit causam eius. et configet eos

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, fol. [2] r – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-j2i3/6669/56338)